

1265

D O G M A T I C I.

1266

VIII. fol. 41. p. 2. Excerpta e IV. *Libris Sententiar. Thomae Aquinatis*, hoc initio: *De sacramentis breuiter aliquid ab opere fratris thome excerpturi &c.* Post Sacramenta etiam reliqua Dogmata pervadit Excerptor.

IX. fol. 82. *Incipit opusculum de anima extractum de opere fratris alberti lectoris per fratrem Martinum brandeburgensem breuiter ad aliquam noticiam compilatum.* Albertus is lector *Albertus Magnus* est O. P. deinceps Episcopus *Ratisponensis*, ad quam Sedem cum a. 1260. pervenerit, liquet ἐπιτομὴν nostram ante hunc annum scriptam fuisse. Noli vero eam e *Commentariis Alberti in Aristotelem de Anima* natam putare. *Summae Albertinae de Creaturis Partem II.* quae est de Homine, legiturque nunc *Opp. omn.* edit. *Lugd. 1651. T. XIX. f.* repraesentat, additis sub finem Quaesitis variis de *Resurrectione* et altera vita. Excerptorem nostrum apud *Quetif.* et *Echard.* non reperio.

Thecae *Codici* utriusque *Varia* ad *Rationem* ordinandorum *Temporum* pertinentia interius adscripta sunt.

CCCXXIX.

235 Codex chartaceus, admixtis quibusdam foliis membranis, lat. Sec. XV. Folior. 304. f. partim per columnas, partim lineis longis scriptus complectitur sequentia: I. *Henrici de Hassia Tractatum physicum*, qui inscribitur:

De habitudine causarum et influxu nature communis respectu inferiorum, ut patet ex nota ad calcem, in qua Autor subtilis speculator adpellatur. Initium est: *Quia libenter scire vellem modum naturalis administrationis et regiminis naturaliter agentium mundi inferioris a superiori celestium subcelestiumque causarum ac utrorumque inter se concatenationem et dependenciam quam catenam auream vocant &c.* Experimentis maxime hydraulicis principia aevi sui constabilire nititur, seque non minorem, ut tunc erant, Philosophum probat, quam Theologum novimus. Tractatus hujus meminit e *Cod. Mellicensi* solertissimus *Pezius Dissert. isag. in T. I. Thes. Anecd. p. 78.*

II. fol. 9. p. 2. sequitur *Tractatus Theologicus de Communicatione Idiomatum* in divinis, cuius initium est: *De communicatione ydiomatum. c. 4º quaedam alias dixi que nunc deo fauente propono diffusius et ordinacius pertractare suppositis protestationibus consuetis fieri parisiis in talibus et alias per me factis &c.* Series deinceps tractandorum exhibetur. Quamquam porro Scriptum istud inter opera *Henrici de Hassia* enumerari non videam, facile tamen ad id ei tribuendum moveor ex eo, quod, ut vidimus, ad morem *Parisiinum* provocat autor, quo in emporio literarum *Henricum* claruisse notum est, dum anno 1379. ab *Alberto Duce* ad plantandum *Viennense* gymnasium accerferetur. *Job.* tamen *Launojus* inter

inter *Nicolai Oresmii* inedita Tractatum ejusmodi connumerat. Ad ejus *Acad. Paris. illustratam* T. II. p. 458.

III. fol. 29. *Tractatus physicus*, ut ex subscriptione liquet, de reductione effectuum specialium in virtutes communes. In summa ora folii lego *Johannes Marvillien.* unde non dubito Tractatum hunc *Johanni de Marvilla* adscribere, quem anno 1359. Philosophiam *Parisiis* docuisse ex *Bulæi Hist. Univ.* T. IV. p. 964. disco. Initium ejus sic habet: *Propter ammirari inceperunt antiquitus homines philosophari. Ammiracio siquidem sensibilibus effectuum et transmutationum rerum corporalium superiorum et inferiorum ad inquisitionem causarum mentem incitabat humanam &c.* Divisus est in *Capita XXV.* quorum *Elenchum* ad calcem adjectum habes.

IV. fol. 38. p. 2. *Questio de Cometa* magistri *Henrici de bassa.* Incipit: *Anno Domini M. CCC. LX octavo. a vigilia palmarum usque ad tres septimanas visus fuit Cometes tempore crepusculi vespertini in parte occidentis. Occasione eius questum fuit Vtrum apparicio comete euentuum aliquorum sit signum prenosticum. Et arguitur, quod non &c.* Id, quod priore Disquisitionis parte contra *Astrologos* judicarios ostenditur. Parte altera *Positiones de Natura et Phaenomenis Cometarum* suis rationibus fulciuntur v. g. *Exalacio cometalis ibi ut plurimum medium intersti-*

cium penetrat potius, ubi ab eo venti reflectuntur. Figuram corporis comete ex figura porcionis iam inflammate resultare. Cometam raro uel nunquam sub sua propria figura apparere. Cuiuslibet comete dyiameter siue latitudo est minor dyámetro stelle, cui apparet equalis &c. *Solus, quod sciam, Tritemius hunc Cometam annotat, scribit Stanisl. Lubieniecus Theatri Comet. P. II. Amst. 1667. p. 268.* Addamus et *Henricum* nostrum *Hassum*, qui praesenti Tractatu confirmat, quod de illo praedicavit *Petr. Ramus L. II. Prooemii Mathem. Paris. 1567. p. 273.* Centesimo abhinc et octogesimo fere anno *Mathematicas artes Lutetia Viennam transtulit: unde brevi per universam Germaniam profeminata Mathematicorum tanquam familiae.* *Scriptionem porro hanc Parisiis etiamnum, ut in re recenti, susceptam ab eo fuisse tempus ipsum suadet.* Ab iis, qui *Henrici* opera enumerant, obiter indicatur titulo: *Contra Astrologos*, qui priori solummodo *Parti* respondet, ut vidimus, quamvis etiam in *Cod. nostro* ad calcem legatur: *Explicit tractatus disputativus cum astrologis super iudicijs apparicionum cometarum, et est totum unica Questio.* Id quod ab ita vero.

V. fol. 45. *Hic continetur de officio tabellionis.* Addidit scriba: *Ne scribam vanum duc pia virgo maria, ubi manum lege pro Maria.* Initium *Opellae: Tractaturi de arte notarie primo videamus, quid*

1269

D O G M A T I C I

1270

quid sit notaria Et quid notarius &c. Compendium est fusioris Tractatus de Notariatu seu Tabeloniato, qui inter plurimos tractatus iuris, quorum primus est de Modo legendi abbreviaturas in utroque iure, Sec. XV. et quidem pluries Argentinae prelum subiit, et subinde Bartolo de Saxoferrato tribuitur.

VI. fol. 52. Exemplar Bullae Bonifacii VIII. ad Philippum Pulchrum Galliae Regem, quae incipit: *Karissimo in christo filio. regi francorum illustri. Ausculta fili carissime precepta patris &c.* et abrupta est post medium in his verbis: *Cum quibus sicut cum personis apud te — —*. Integram vide in Actis subnexis Historiae du *Differend d'entre le Pape Boniface VIII. et Philippes le Bel Roy de France*, quae Petro et Jac. Puteanis debemus, Paris.

1655. p. 48. f. et T. XIV. *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* ad an. 1301. §. 31. ubi tamen quaedam desunt, ut notant *Puteani*.

VII. fol. 53. Incipit *Alanus de conplanctu nature*. Opusculum hoc metris et prosa ad *Boethii* modum alternans Autoris patria *Insulani Flandri*, instituto *Cisterciensis*, aetate Scriptoris Sec. XII. ob eruditionem dicti *Doctoris Uniuersalis* integrum edidit cum X. aliis *Alani* tractatibus *Carolus de Visch* ejusdem instituti anno 1654. f. Metra vero, quae numero IX. sunt, emendatiora repraesentavit *Polyc. Leyserus* in *Hist. Poetar. med. aevi* p. 1045. Planctus porro inter alia vitia praecipue contra *παιδεγασίαν* dirigitur, unde in quibusdam *Codd.* legas: *Tractatus contra Sodomiae vitium*. In nostro multa circa medium desunt. Incipit:

*In lacrimas risus, in luctus gaudia verto,
In planctum plausus, in lacrimosa iocos &c.*

Finit: *mistice apparicionis dereliquit aspectus*. Sed adhaerent

Rhythmi sine titulo, quorum initium:

*Vix nodosum valeo nodum denotare
Et indemonstrabile monstrum demonstrare
Nude volens veneris vultum denudare
Que naturas hominum vult denaturare &c.*

Atque hac chorda per quatuor paene folii columnas oberratur.

Subscriptum est: *Hij sunt rigmi Alani*, et:

*Alanum brevis hora breui tumulo sepeliuit
Qui duo qui septem qui totum scibile sciuit*

Denis *Codd. Theol. V. I. P. II.*

E

primi

1271

C O D I C E S

1272

primi nempe *duo* versus ex *sex* ejus tumulo *Cistertii* insculptis, quos refert *cit. de Visch* in *vita Alani* ejus Operibus praemissa. *Rhythmos* autem memoratos edit *Leyserus cit.* p. 1092.

VIII. fol. 68. Versus τεχνικoi, quorum binis praecipua semper cujusvis Mensis festa comprehenduntur. Ita *Januarius*.

*Cisio ianus ep val erbar vendicat oc feli mar ant
Prisca fab aug vincen tbi pau po nobile lumen &c.*

Cisio manifeste *Circumcisionem* Domini notat. Versus hos et *Adami de Weleslawjna Kalendario Bob.* et *Proc. Lupacii Ephemeridibus* per singulos Menses praefixos invenio, aliquantum ta-

men variantes. *Pag. seq.* Sententiae quaedam morales adscriptae sunt et Responsum ad Quaestionem: *Cur in natiuitate Domini 3. misse celebrentur*, quod praefento:

*In natale sacro sacre solemnia misse
Quid signent, aut cur ter celebrantur, babes.
Nocte prior, sub luce sequens, in luce suprema,
Sub Noe, sub David, sub christo sacra fuere,
Nox, aurora, dies, umbra, figura, deus.*

IX. fol. 69. *Adversaria Juridica*, potissimum ex *Jure Canonico* collecta, ad instar *Positionum*, aut *Summariorum*.

X. fol. 87. p. 2. incipiunt *Rhythmica* quaedam, et primum *Confessio* quaedam *Deiparae* facta:

*Sancta virgo virginum, que genuisti dominum
Triumphatorem zabuli, recuperatorem seculi &c.*

Dein *Miseriae humanae Contemplatio*:

*Cum sit omnis caro fenum et post fenum fiat scenum
Cur homo extolleris
Cerne quid es et quid eris, modo flos et reuerteris
In fauillam cineris &c.*

Mox nota *Sequentia*: *Dies ire corporis et anime*, qui incipit: *dies illa &c.* Demum: *Conflictus*

*Vir quidam extiterat dudum Heremita
Fulbertus francigena, cuius dulcis vita,*

Dum

1273

D O G M A T I C I.

1274

*Dum in mundo fuerat, se deduxit ita,
Quod verba, que protulit, fuerunt perita.*

Interfuit hic per somnium dialogo *Spiritus et Corporis* Hominis recens defuncti mutuo sibi interitum exprobantium:

*Juxta corpus spiritus stetit et plorauit,
Et his verbis acriter carnem increpauit:
O caro miserrima! quis te sic prostrauit &c.*

Caro culpam damnationis multis in Spiritum regerit, donec a malis geniis adparentibus simul abripiuntur, et Poetae otium faciunt piis meditationibus indulgendi. *Strophae* sunt LXXIX. quarum quaedam numerum τετρασχοφων excedunt. Inter *Fulberti Carnotensis Opera Paris.* 1608. 8. ejusmodi *Rhythmos* inuenio, alios memorat *Labbei Bibl. nova Mss.* p. 58. vix tamen ausim nostros eidem tribuere.

XI. fol. 92. absque inscriptione Pars III. *Regulae Pastoralis Gregorii M.* quae incipit: *Quia igitur qualis esse debeat pastor ostendimus &c.* et finit: *tui meriti manus leuet.* Habetur edit. *Maur. Paris. T. II. 1705. col. 33. f.* et hic etiam integra, sed errore Compactoris intercepta, ut videbis *fol. 202. et 231.*

M christi bis CC quarto deno quater anno.

De sacro Busto discernit tempora Ramus.

Gratia cui nomen dederat diuina Johannes.

Annuat hec nobis huius sic carpere fructum.

Ecclesie christi quo nos hinc fructificemus.

Annumne 1256. an 1244. designare voluerit Poeta, dubium est. De variis *Computuum* seu Admi-

XII. fol. 128. p. 2. Responsum ad Quaestionem: *Vtrum et quomodo intelligendum sit, quod in persona domini nostri ihesu christi est verus deus et homo, et deus ubique est, et tamen humanitas christi ubique non est, sed in certis et determinatis locis &c.* Cui statim adhaeret *Formula chemicae* cujusdam *Operationis.*

XIII. fol. 131. *Computus* Ecclesiasticus sine auctoris nomine, qui est *Johannes Halifax de sacro Busto s. Busto* Sec. XIII. notissimus suo de *Sphaera* opusculo *Anglus.* Initium: *Computus est scientia considerans tempora ex solis et lune motibus &c.* In Exemplaribus saepenumero typo proculis habentur *figurae*, quibus *Codex* noster caret, qui, ut impressa, in versus definit:

nicalorum ad ordinandum *Kalendarium* Autoribus vide *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. v. Computus.*

tus. Nostrum cum edit. *Melanchthonis Viteb.* 1549. 8. contuli, sed jam alter interea succreuerat *Computus Novus Ecclesiasticus*, cujus aliquot Editiones sub initium Sec. XVI. factas indicavi in *Hist. Typogr. Vienn.* In Cod. porro nostro adhaerent *Tabulae* quaedam de *Festis mobilibus*, *Cyclo Solari*, *Litera Dominicali* &c. quarum una *Gerlandi* dicitur, de quo *Computista* adi *Tanneri Bibl. Brit. et Hib.* qui *Garlandium* appellat. *Fol.* praeterea 150. p. 2. leguntur *Adversaria* quorundam negotiorum privatorum Hominum, et inter alia: *Nota*, quod dominus *Vhricus Hulzeger* dedit magistro *Theodorico de nyem 4 flor.* ex parte domini *Eberhardi de Wyes presbiteri maguntinen.* ad procedendum in sua causa contra *Henricum Ralwuoldi poson.* causa praedictae ecclesiae sancti *stephani maguntinen.* &c. Unde concludi posset, *Codicem* nostrum ad *Rhenum* et quidem *Constantiensis Synodi* tempore exaratum fuisse, cui *Theodicus de Niem* notus Scriptor interfuit.

XIV. fol. 152. Fragmentum *Traктatus Proportionum M. Alberti de Saxonia* Scriptoris Sec. XIV. primi Rectoris Acad. *Vien.* et post *Halberstad.* Episcopi ex O. S. A. de quo consulendi *Scriptt. Univ. Vien.* Sec. I. P. 1. p. 24. *Offingeri Bibl. Augustin.* et *Bibl. Fabricii*, quod incipit: *Nunc restat uidere penes quid attendatur uelocitas motus* &c. et finit: *superfedeo gratia breuitatis.* *Explicit per Albertum de Saxo-*

nia. In edit. *Patavina* per *Matth. Cerdonis de Windischgrätz* 1482. 4. a fol. 8. p. 2. tertiam totius *Traктatus* partem efficit.

XV. fol. 154. *Questio de Latitudinibus.* Ejusdem Argumenti opusculum *Phyfico geometricum*, iis simile, quae *Alb. de Saxonia, Nic. Horem* five *Oresmius, Blasius de Pelicanis*, s. *Pelacanis, Thomas Bradwardinus* dedere, quorum *Collectio* extat *Venetis per Bonet. Locatellum* 1505. f. Et quamvis initium *Quaestionis* nostrae diversum sit, incidit tamen per decursum in *Traктatum Joannis de Casali*, qui in dicta *Collectione* inscribitur: *de uelocitate motus alterationis.* Est vero initium: *Prima questio est ista. Cuiuslibet latitudinis incepte ab aliquo gradu quocunque uolueris* &c.

XVI. fol. 173. *Formula* quaedam *Confessionis peccatorum: Confiteor tibi pater celi et terre* &c. cui subjuncta est *precatio* ex *Psalms* contexta: *Illumina oculos meos* &c. hoc titulo: *Quicumque dicit hos versus scriptos omni die nunquam dampnabitur in eternum, ut patet per beatum Bernhardum Abbatem.*

XVII. fol. 174. p. 2. *Litterae* cujusdam *Pontificis: Dilecto filio et Nobili Domino Wilhelmo Comiti Saresberien Salutem* &c. *Regrediens ad nostram presentiam dilectus filius nobilis Vir Damianus de Cathaneis Miles Januen.* consiliarius et nuncius noster, quem ad carissimum in christo filium nostrum *Richardum Regem Anglie illustrem*

1277

D O G M A T I C I.

1278

strem ac partes illas miseramus &c. Rogat *Wilhelmum*, ut Regi auctor fit abolendi quoddam statutum *Regium*, si tamen ita dici debeat, contra libertatem ecclesiasticam dudum editum et saniori consilio non seruatum, sed a *Richardo* a seductoribus, ut ait, persuaso innovatum. Praeterea *Damianum* reducem in *Angliam* commendat. Datum *Rome* apud sanctum *Petrum*. Pontificem *Bonifacium IX.* Regem *Richardum II.* arbitror, literas vero scriptas post an. 1393. quo *Comitis Sarrisberiensis* titulus *Wilhelmo Montacutio* obtigit.

XVIII. fol. 175. Brevis *Philosophiae* in omnes partes suas *Distributio*, cujus initium: *Philosophia diuiditur in organicam seu ministralem et principalem &c.* Ad calcem: *Jo. Cal.* Quod, an *Johannem Calderinum*, an *Calderiam* denotet, nescio; video tamen per decursum *Hugonis a S. Vi&.* *Didascalicon* citari.

XIX. ejusd. fol. p. 2. *Johannis XXII.* *Constitutio*, quae incipit: *Execrabilis quarundam tam religiosarum quam secularium personarum ambicio &c.* et detonat contra possidentes plura sacerdotia. Subscripta est: *Auinione XIII Kl. Nouembr. Anno secundo. (1317)* et habetur in *Corp. Jur. Can.* inter *Extravagantes* tertia.

XX. fol. 177. *Summa parua domini Jo. Andree super 4^o Libro Decretalium.* Initium: *Christi nomen inuocans ad honorem ipsius et Reuerendissimi patris mei domini*

Bonifacii Archidiaconi &c. Hic manca, extat integra in *Tractatu Tractat. Juris*, T. IX. *Venet.* 1584. fol. 2. f.

XXI. fol. 183. *Incipit margarita bernhardi.* Est Index locorum communium *Juris Canonici*, indicatis *Decreti* et *Decretalium* capitibus, in quibus de quavis proposita materia agitur, videturque confectus ad modum *Tabulae* dictae ab Autore *Martinianae* aut *Margarita Decreti* saepius typis edita, id quod de *Margarita* nostra asserere non ausim. Incipit: *Verborum superficie penitus ressecata de talento credito vobis relinquo socij margaritam &c.* Prima materia, quam excutit, est *Jus Naturale*, ultima *Consecratio Ecclesiarum et Altarium.* Duos habemus *Bernardos*, qui in hoc stadio decurrere, *Bottonum* unum *Parmensem*, *Compostellanum* alterum de *Montemirato.* Ad quem vero horum *Margarita* praesens pertineat, alii dispiciant.

XXII. fol. 191. *Summa continens quae probibentur tempore interdicti.* Initium: *Ad honorem Dei et gloriose Virginis matris sue, ut ex. de usu pal. ad honorem, Incipit summula breuis edicionis &c.* Non inveni in *Tract. Tractatum Juris.*

XXIII. fol. 195. p. 2. *Summa*, ut in calce legitur, *breuis de Processu Judicij*, cujus initium est: *Autequam dicatur de processu Judicij, Notandum est, quid sit Judicium et quot sint species iudicij &c.* Non est *Johannis de Urbach*

1279

CODICES

1280

Urbach five *Auerbach*, cujus simile Opusculum cum aliis ejusmodi pluries Sec. XV. typis prodiit, neque in *Traſt. Traſt. Juris* reperitur.

XXIV. fol. 200. p. 2. *Urbani* VI. Pont. Literae, quibus *Angelo Acciajolo* ex Episcopo *Florentino* facto Cardinali primum *S. Laurentii in Damaso*, dein *Ostienſi* et 1409. mortuo adjicit Canonatum et Praebendam in Ecclesia *Menevenſi* (S. Davidis in Ducatu Walliae) reddituum *sexaginta marcharum ſterlingorum*, quos prius *ſilius iniquitatis*, ut in literis dicitur, *Ludovicus* (Donatus) olim tituli *S. Marci* presbiter Cardinalis possederat. Virum hunc egregium ex O. M. ob suspicionem inſitae adverſum ſe conſpirationis truculentus *Urbanus Genuae* cum 4. aliis Cardinalibus mense *Dec. 1385.* interemit. Vide *Theod. a Niem L. I. de Schismate* &c. et *Ciaconii Vitas Pontiff. T. II. De Ang. Acciajolo* etiam *Mazzuchellii Scritt. d'Italia Vol. I. P. 1. p. 38.* Initium literarum est: *Dum exquisitam tue circumſpectionis industriam diligenter attendimus* &c. Ad calcem: *Datum Janue* &c. Adhaeret Injunctio ad Praefides Ecclesiae *Menevenſis* de Eo in possessionem mittendo.

Ortulus iste brevis Dulcia poma gerit.

XXVIII. fol. 225. *Copia littere miſſive per ducem Bituricen. &c. miſſe dominis Cardin. et fe. re. domino Innocentio pape VII.*

XXV. fol. 202. *Incipit liber Pastoralis primus beati Gregorii pape. Vitio compactoris Pars III. jam fol. 92. praecessit. Dimidium Partis II. fol. 231. sequetur. Integrum itaque est opus, ut in edit. Maur. T. II. p. 1.*

XXVI. fol. 214. *Traſtatus de appellationibus. Incipit: Viſo de hijs que ſunt in Judicijs et tandem de ſententia, eſt videndum de remedijs &c. Initium iſtud ſuadere videtur Traſtatum hunc pertinere ad Summam illam breuem de Proceſſu Judicij, quam ſupra indicavimus fol. 195. inſcitiaeque Compactoris ab illa diremptum. Cum ergo in calce Traſtatus legatur: *Explicit ſumma de Appellationibus edita per Johannem Calderinum*, fieri poteſt, ut ſuperior quoque illa *Summa* ad hunc Autorem ſpectet. Neutrum tamen a quoquam illi tribui video.*

XXVII. fol. 220. p. 2. *Brevis Commentatio de Caſibus, in quibus ſententia eſt nulla ipſo Jure, de Privilegijs et Caſibus Episcopalis, et de Caſibus Papalibus. Caſus iſti ſaepenumero jam ſub Typographiae primordia prelo ſubjecti extant. Quantum ſibi in opella ſua placuerit Epitomator noſter, ex fine liquet: Licet libellus iſte ſit brevis et parvus, poteſt tamen de eo dici*

Superscriptio legitur ad calcem hujusmodi: Dilectis in chriſto fratribus illis qui huius lamentabilis ſciſmatis tempore dominum Cosmatum

1281

D O G M A T I C I.

1282

tum (de Melioratis) *Innocentium papam VII. vocant et illi ut Cardinales assistunt.* Dein additur: *Premissorum copiam misit Conradus Vnroxe (Unruhe) de Roma domino Johanni (Nassovio) Archiepiscopo maguntin. et quam ego Johannes Muntschemer vicarius in ecclesia Maguntin. copiaui manu propria anno domini 1407. die VI. februarij qui fuit dominica appellata quinquagesima in carnis priuio.* Mortuus est *Innocentius Romae 6. Nov. 1406.* ideo superius additum: *felicis recordationis.* Initium literarum, quibus bonus Princeps ad res cum *Petro de Luna s. Benedicto XIII.* componendas hortatur, est: *Fratres in Domino nostro Ihesu Christo, qui suis fidelibus dixisse legitur, Vos omnes fratres estis &c.* Subscriptio: *Paristus. XIIIII augusti anno domini M^o. quadringentesimo sexto. Sancte Romane ecclesie fidelis et deuotus Johannes quondam (Johannis II) Regis francorum filius. dux Bituricen. et Aluergnie, pietauie Balonie (Velauniae, Velay?) Stamparum et Aluergnie Comes &c. Arverniam*

bis hic poni, mendum non cenfeo, cum *Johannes II.* in gratiam *Johannis filii* anno 1360. partem ejus Provinciae unam *Ducatus* titulo insigniverit. Obiit Filius, autor Epistolae nostrae, quam editam nullibi me legere memini, anno 1416.

XXIX. fol. 236. *Epistola directa Reuerendo patri domino G. (Gerhardo C. a Schwarzburg) Episcopo Herbipolen. statim post debellationem ciuium Herbipolen.* Narrat bellum hoc intestinum et pugnam ad pagum *Berchtheim*, qua 1400. 11. Jan. debellatum est, *Laur. Frieß* in *Hist. vernacula Epp. Würceburg.* editus a *J. Petro Ludewig* in *Collect. Scriptt. Episcopatus Herbip.* p. 676. Victoriā itaque Episcopo gratulatur Epistolographus noster sermone paene toto ex sacris Literis non inepte deprompto, pro vivis et superstitibus clementiam deposcit, pro occisis piās exequias, *ut si qui forte ad cor reuersi in hora extremi spiraminis sui gemitum contricionis emisserint, Deus paterno misereatur affectu &c. Metrista canit*

Herbipolis sola iudicat ense stola.

Per stolam ipsum spirituale vobis conceditur, per ensem seculare vobis non denegatur. Per stolam misericordia designatur, per ensem uero iudicium figuratur &c. Vnde Reuerende pater nulli consentiat, qui suadent vobis vindictam absque misericordia, quia forte et sine forte Dei iudicio permissum

fuit, ut clerus vester multipliciter suis demeritis exigentibus castigaretur a subditis, quorum curam negligenter gessimus &c. Ad calcem: *Scriptum Nurenberge per me vestrum humilem seruulum Conradum Schilber ipsa die sancti pauli Apostoli Anno Domini M^o CCCC^o.* Sequitur: *Secunda epistola*

epistola prefato Domino Herbipol. statim post priorem directa occasione debellacionis hostium suorum. Post prolixè repetitum prioris argumentum ita profèquitur: Hinc est, quod Deus mirabilia, quæ operatus est vobiscum, approbavit et firmavit per mirabiliora, quæ operatus est Rome cum Domino nostro papa (Bonifacio IX) proxima feria quinta post diem victorie vestre, heri enim habui certissima nova de curia romana, quod XIII die Januarii post medium noctis hostes domini nostri pape (Nicolaus de Columna) videlicet expulsi Romani, qui magnam adhesionem populi habebant in vrbe Romana, eandem urbem in maxima multitudine iuxta extimacionem Mille armatorum equestrium traditorie intraverunt, et subito viceperunt forum siue plateam capitoli et potenter tenuerunt usque post solis ortum sequentis diei vociferantes terribiliter, moriatur papa et viuat populus Romanus, expectantes sibi crescere populum in vrbe eis partialem. Sed gentes Domini nostri pape hoc preuenerunt et se armauerunt ac eosdem hostes uiriliter inuaserunt, quos tandem Dei nutu ruperunt, vicerunt, ac quam plures ex eis occiderunt, alios captiuarunt. Alii uero ex hostibus terga vertentes extrorsum fugierunt per portas, vnde intrarant, eadem hora fuerunt suspensi ex captiuis Romanis XXVIII. Tricesimus ex eis fuit suspensor ipsorum, qui ut dicitur coactus fuit suspendere inter ceteros carnalem fratrem et pa-

truum ac plures alios de linea sui generis, ut sic vitam redimeret. Hec facta fuerunt feria quinta XV. die Januarij de mane. Sequenti die recessit de vrbe is, qui retulit mihi hec omnia, et dicit, quod et alij quinquaginta Romani, qui eadem die belli similiter erant captiuati, debebant, vt dicebatur, similiter decapitari et maxima ulcio fieri. Utinam deus concesserit eis veram contricionem &c. Rem narrat eodem paene modo Theodoricus de Niem L. II. de Schism. c. 27. nisi, quod diem tacet, et fratri ac patruo substituit patrem et fratrem, captivosque numerat XXXI. Subscriptio hujus epistolæ eadem, sed in Crastino purificationis beate virginis.

XXX. fol. 239. p. 2. *Geraldi de Podio falconis et aliorum Palatii Apostolici Auditorum, dictorum de Rota Literæ ad Carolum IV. excusatoriae, quod Vlricum Dybissch de Ryttschano Capellanum ejus in consequendo Canonatu et Praebenda ecclesiae sancti Johannis in Haig (Haugis) extra muros Herbipolen. non possint praeferre Competitori Henrico dicto Ever de Wertheim pauperi clerico Herbip. Dioec. Initium: Serenissimo principi et illustrissimo Domino Domino Karolo Romanorum Imperatori semper Augusto Domino suo gratiosissimo. Serenissime princeps et illustrissime Domine. Humillima Recommendatione ac orationibus in christo deuotis semper premissis literas celsitudinis vestre cum omni deuocione et reuerencia alacriter recepimus &c.*

Subscriptum:

Subscriptum: *Auinione die XXI. mensis Julij* (absque anni nota) *Geraldus de Podio falconis et alij sacri palacij apostolici Auditores, ac vestri humiles oratores.*

XXXI. fol. 241. M. Henrici de Hassia *Tractatus de Contractibus*, qui incipit: *In sudore vultus tui &c.* et jam *Codd.* aliis pariter indicatus est.

XXXII. fol. 282. p. 2. *Sermo de periculis Ecclesie.* Hunc sermonem fecit magister *Nicolaus Oerem* (Orem, Horem, Oresmius) *Coram papa Urbano quinto et Cardinalibus In vigilia natiuitatis Dominice que fuit quarta Dominica aduentus Anno domini M^o CCC LXVIII pontificatus ipsius Anno Secundo.* Indicatus *Cod. CCCXLII.* sed hic erratum in anno; *Vigilia enim Natiuitatis anno 1364.* incidit in tertium *Urbani.* Ad calcem adtexta est sequens *Nota: Quod magister predictus fuit nazione normanus Cancellarius parisiensis. cuius auctoritate et confirmacione licenciantur magistri ibidem. Et in ipso sermone prescripto dominus papa lacrimatus est, ut narrarunt, qui viderunt. Quo expleto quidam cardinalis, qui postea factus est papa s. Gregorius XI. dixit ad presertum magistrum, Vos hodie misistis manum in christum domini. At ille respondit, Si male locutus sum, testimonium perhibe. Ego quidquid locutus sum, est scriptura sacra et canonica. Ut autem verificaretur effectus huius sermonis, post obitum presati domini pape gregorij XI. cepit scisma in eccle-*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

sia tam grande, quale nunquam legitur ante fuisse, et iam ultra annos XX. durauit nimis periculose. (Scriptum hoc igitur circa an. 1399) *Item presatus magister quoque coactus a domino papa accipere episcopatum Inuito ipso et renitente.* Quod ultimum, ut cetera vera sint, claudicat. *Oresmius enim primum anno 1377. et quidem a Carolo V. Rege Francorum designatus est Episcopus Lexoviensis, ut ipse ait in Praef. ad Aristotelis Politica et Oeconomica a se gallice reddita. Vide s. Launoji Acad. Paris. illustr. T. II. p. 457.*

XXXIII. fol. 287. *Epistola Luciferi.* Initium: *Lucifer princeps tenebrarum tristitia profundi regens &c.* *Codd.* pluribus, ut docet *Index,* obvia.

XXXIV. fol. 288. p. 2. *Observatio brevis de Redemptionibus Censuum.* Incipit: *Si communitas aliqua vendidit redditus aliquos annuatim soluendos apponendo pactum redimendi, sic distinguit Jo. de Lignano &c.*

XXXV. fol. et p. ead. *Articuli heresum in Maguncia.* Initium: *Anno Domini M^o CCC^o XC^o circa festum sancti Michaelis In Maguncia inventi sunt isti articuli hereticorum Waldensium.* Enumerantur porro XVII. quorum primus: *Quod sacerdotes qui represententur a iudeis et christianis, non possunt conficere corpus dominicum.* Ultimus: *quod confessio que fit in ambone non valeat quidquam pro populo ibidem confitenti sed est vnum figmentum.* L. V.

F

Rer.

1287

I C O D I C E S

1288

Rer. Mogunt. Nic. Serarii in Collect. G. Chr. Joannis T. I. P. 2. p. 707. lego: Irrepsit Moguntiam hisce temporibus (sub Conrado II. electo 1388) Waldensium haeresis, adeo ut ea infames XXXVI. ciues Bingam abducti et ibidem igne plexi sint.

XXXVI. fol. 289. *Traclatus de periculis Ecclesie*, addidit aliam manus, *compilatus per Vniuersitatem parisiensem*. Est vero *Guilhelmi a S. Amore Codd.* etiam *DXLIII.* et seqq. repraesentatus, incipiens: *Ecce videntes clamabant foris Angeli pacis amare flebant &c.* et alias inscriptus *de Periculis novissimorum temporum*. Ultimus hic paragraphus *C. XIV.* qui infit: *Si autem cetera praedictorum &c.* deest.

CCCXXX.

801 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 118. 8. eleganter exaratus, et rubricis distinctus hunc Titulum praefert: *De Prescientia dei et Predestinatione. Caput Primum Prime Libri Partis.* Initium: *Cum omnium quae operatur trinitas prescientia eius dispositio et uoluntas actum precedat. oritur inuestigatio de prescientia dei. de prouidentia. et predestinatione. de uoluntate dei et potestate &c.* Opus ad causam *Godescalchianam* pertinens in manus tibi venisse putes. Verum insuntis in praedictum argumentum *Capitibus III. Caput IV.* ita orditur: *Nunc de illa parte fidei est agendum. quae ad sacramentum incarna-*

tionis pertinet. &c. Ita *V. de libero Arbitrio, VI. de tribus Virtutibus, quibus domus dei constructur, VII. de Timore Dei, VIII. de Baptismo &c.* tractat, ut adeo *Συμμικτα* potius *Dogmatico* — *Ascetica* tradat *Autor ἀνωρυμος*, quam *Opus* aliquod partibus inter se nexis constans. *Pars* eius *I.* censet *Capita XXX.* quorum ultimum exponit locum *Pauli I. Cor. 13.* de *Caritate. Pars II. Capitum* totidem incipit: *De his qui edificant super fundamentum quod est Christus &c.* *Pars III. Capitum XXIV.* orditur de *tribus Silentiiis* in illud *Sap. 18. Cum medium silentium tenerent omnia, et exit in prolixum Augustini super Genesim* locum, qui terminatur: *in ara cordis. igne feruide karitatis.* *Autor*, ut videtur, *Monachus* sua numeris amat includere; ita identidem legas: *Tria sunt, quae &c. Quatuor sunt, in quibus &c. Septem sunt, quorum &c.*

CCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 410 XIII. Folior. 73. 4. commode perscriptus *Libros IV. An. Manl. Sev. Boethii Scriptoris Sec. VI. de Trinitate* cum *Commentario* ita continet, ut *columna interior angusta Textum, exterior lata Expositionem* repraesentet. Est vero *Expositio* haec, quod quidem *Codex* tacet, *Gilberti*, non *Abbatis Ursicampi O. Cist.* ut e *Jac. Phil. Bergomensis Supplem. Chronic.* refert *Vischius* in *Bibl. Cist.*